

## Alte Drucke

# Davidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Iudicvm, Rvth, in Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ

Chytræus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

Caput XXXVIII.

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

**urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122**



## Caput XXXVIII.

**F**ILI mi, attentè considera, quid conducat corpori tuo: & quod ledat valetudinem tuam, eo non utaris. Neque enim quæuis quibusuis conducunt, deinde nec quisquis quolibet cibo delectatur. Nec opple-  
Cura valetudinis tuendæ.  
Voracitas.  
Medicina.  
 as te quibusuis cibis lautis, neque auidè vores. Nam voracitas aegritudinem conciliat, & inexaturabilis belluo vexatur tormentibus. Plerique enecti sunt crapula: qui autem moderatè viuunt, longæuius erit. Honora medicum digno munere, ut utaris eo in necessitate. Nam Dominus eum creauit, & medicina ab altissimo exorta est, & reges honorant eum. Ars medici exaltat ipsum, & facit eum magnum apud principes & magnates. Dominus medicamina & remedia ex terra produxit, & prudens non aspernatur ea. Nam & aqua amara indolcata est, immisso ligno, ut cognosceretur virtus eius, Et hanc artem dedit hominibus, ut laudaretur, celebrareturque in mirabilibus suis, his enim sanat & sedat dolores, & aromatarius remedia ex illis conficit. In summa, opera Dei omnia enumerari non possunt, & ipse dat omne quod usquam bonum est in terra. Fili mi, si agrotaueris hoc ne contemne, Ora Dominum, & sanabit te. Desine à peccato, manus tuas emunda, & cor tuum purifica ab omni peccato. Adole odorem suauem, & simillam, holocaustum pingue offer, quasi iam è vita discessurus. Deinde adhibe medicum. Nam Dominus creauit eum, & ne dimittas eum, cum adeò opera eius indigeas. Potest hora incidere, ut agroto tantum per illos succurratur, quando Dominum orant ut restituant eum, & ut seruetur ad viuendum diutius. Qui coram creatore suo peccat, hic incidit in manus medici.

Fili mi, si quem contigerit mori, deplora & luge eum, ut in dolore acerbo, & circumligato corpus eius, & honestè cura sepeliendum. Lacrymis indulge & luge ex animo diem unum aut alterum, ne homines male loquantur de te, Sed tamen consolatione rursus erige te, ne mærore nimium opprimaris. Nam  
Luctus de mortuis.  
 ex mæ-



*ex mœrore animi venit mors, & mœstitia cordis debilitat vires. Tristitia & inopia discruciant cor in hora tentationis, & facile peccat. Ne des locum tristitia in corde tuo, sed expelle eam, & cogita de fine, neq; obliuiscaris. Nam ex morte non est reditus. Ipsi quidem nihil prodest, & tibi nocet. Memento quemadmodum ipse mortuus est: ita & tibi moriendum est. Mihi heri, hodie tibi. Cum nunc mortuus sit in requie, nunc desine meminisse doloris, & consolare te ipsum super eo, cum spiritus eius hinc euolarit.*

**D**E CVRA TVENDÆ VALETVDINIS præcipit, quæ est virtus V. præcepti. Non enim minus sunt homicidæ, qui proprium corpus, quod est opus & domicilium Dei, & organum actionum diuinarum, crapula vel ingluuie corrumpunt & extinguunt, quam qui aliorum corporibus violentas manus inferunt. Et Deus iubet, non tantum conseruare vires corporis, verum etiam honore afficere. h. propter Deum autorem reuerenter curare & magnificare corpus, tanquam excellens donum & organum Dei, continens plurima sapientiæ & bonitatis diuinæ testimonia, singularum partium, cerebri, cordis, ventriculi, oculorum, manuum constructioni, situi, collocationi, figuræ, functionibus impressa: & conditum ad vsus diuinos, vt vera Dei notitia & celebratio ac laudes Dei, & omnium virtutum Deo placentium imagines in eo luceant. Propter hanc causam diligentiore cura naturales vires & sanitatem corporum nostrorum tueamur. Primum notitia earum rerum, quæ nostro corpori conducunt vel obsunt. Medici res non naturales nominant, aërem, cibum, & potum, exercitationem corporis & quietem, somnum & vigiliam, euacuationes, & affectus. Deinde Diæta seu temperanti & moderato vsu cibi & potus vitante helluationes, ingluuiem, & crapulam, quo multo plures quam gladio interficiuntur. Adolescentes hæc duo dicta tanquam regulas tuendæ valetudinis meminerint, alterum Chrysostomi: ἡ αὐτάρκεια καὶ τροφή ἐστὶ καὶ ἡδονὴ καὶ ὕγεια. τὸ δὲ πλεον λήμη καὶ ἀηδία καὶ νόσος. Tantum comedere & bibere, quantum satis est, & nutrit corpora, & voluptate afficit, & sana conseruat. Ninium autem, & perniciem adfert corpori, & insuaue est, & morbos generat. Alterum Celsi: Multi magni morbi abstinentia & quiete arcentur & curantur. Congruit cum Platonis Timæo: ὅταν τις παρὰ τὴν εἰμαρμένην τὸ σῶμα φέρῃ φαρμακείας, ἀμὰ ἐκ μικρῶν μεγάλα καὶ πολλὰ ἐξ ὀλίγων νοσήματα φιλεῖ γίγνεσθαι. Διὸ παιδαγωγὸν δὲ δαίταις πάντα τὰ τοιαῦτα. Cum quis præter fatum corpus pharmacis corrumpit, simul ex paruis magni, & ex paucis multi morbi oriri solent. Ideo diæta conueniente initia morborum curare oportet.

Cum autem morbis afflicta est valetudo corporis nostri, talem curationem instituere Syracides docet, vt primum causam morborum principalem videlicet, peccatum seria pœnitentia & fide ex cordibus nostris tollamus. Deinde ardentibus votis ad δεξιὰς filium Dei confugiamus, & ab eo auxilium & depulsionem morbi petamus, & sacerdotes quoque & alios pios oremus, vt Deum pro nobis precentur. Tertio remedijs morborum à Deo conditis, & consilio ac ope medici vtamur. Hac occasione insignem



ARTIS MEDICÆ LAUDATIONEM intexit, quæ in bonis mentibus amorem & reuerentiam erga hanc artem haud dubiè auget. *Honora medicum, propter necessitatem enim Dominus Deus creauit eum, à Deo est omnis medicina, & reges eum honorabunt. Ars medici exaltat caput eius, & apud principem facit eum magnum. Altissimus de terra creauit remedia, & vir prouidet in mirabilibus suis, &c.* Vniuersum enim hoc theatrum naturæ rerum, considerant & euoluunt medici, clarissima præsentia, sapientia, bonitatis & prouidentia diuinæ testimonia continet: Quæ Deus vult aspici, vt ipsum agnoscamus, & remedia inde petamus ad vitæ prorogationem: quæ ideo expetenda est, vt veram Dei notitiam & aliarum rerum bonarum doctrinam latius spargere & vñ confirmare possimus, vt scriptum est: Non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini. Item: Non mortui laudabunt te Domine. Huic summo operi seruit ars medica & tota varietas remediorum diuinitus proposita in rerum natura. Et si igitur suus cuiq; arti locus, suus honos tribuendus est, tamen pietas Deo debita est, eam artem magnificere, in qua amplissima & gratissima de Deo fama sparsa est, & quæ expressa voce diuina laudatur, quod à Deo autore profecta sit. Impossibile enim fuisset humano ingenio tantam scientiæ varietatem complecti, vt considerationem corporum cœlestium, quæ hanc inferiorem naturam variè afficiunt & temperant: inspectionem fabricæ humani corporis, vt iuxta oraculum nos ipsos agnoscamus: tot morborum genera & singulorum causas & remedia: naturam animantium omnium, & infinitam varietatem herbarum & virium, quas singulis Deus attribuit, ita vt aliæ herbæ alijs membris opitulentur, vt amaracus, saluia, cerebro: feniculum oculis: Hyssopus, Helenium, pectori: Melissa, pulegium, artemisia, matrici: Eupatorium epati, &c. Non igitur dubium est Deum ipsum primis parentibus vires plantarum & remedia monstrasse, quæ deinceps per manus posteris tradita sunt. Et postea donum medendi Apostolis datum est. Et apparet vñtionem agrotorum, medicam curam fuisse, sicut descriptio in Iacobo profusum cum hoc Syracidæ loco congruit, qui iubet agrotum primò ad Deum confugere, postea quærere præsidia diuinitus monstrata. Veteres etiam illi sapientes, medicinam à Dijs acceptam esse senserunt. Idco Apollinem & Æsculapium in Deorum numerum rerulerunt, & apud Homerum Machaon & Podalirius filij Æsculapij dicuntur, & vulnerato Machaone Iliados λ. Idomeneus ad Nestorem inquit: *Εἰς ἰατροὺς αἰεὶ πωλλῶν ἀνράζῃ ἀθάνατο.* Vir medicus multis alijs præstantior vnus. Sed hæc Ethnica omittamus, cum expressum vocis diuinæ testimonium in conspectu sit, quod quidem iubet honorare medicum. Tribuitur autem honos præstantibus & diuinis donis, & postea inquit, **A** REGIEVS honorari medicos, vt apud Ezechiam in honore est Esaias Propheta medicus. Apud Darium Democedes Crotoniates in tertio Herodoti, qui in patriam ingenti thesauro onustus remittitur. Apud Alexandrum magnum Philippus medicus, quem cum Sycophantæ aulici, inuidentes ipsi eam auctoritatem apud regem, accusassent apud Alexandrum, quod instinctu Darij venenum ipsi daturus esset, nihilominus eum clementissime complexus est, quia fidem ipsius perspectam habebat. Apud Antigonum Asiæ regem Diocles & Philippus Epirotus, de quo nota est historia, quomodo regis amicum hydrope laborantem cu-



tem curare instituerit. Apud Antoninum Cæsarem Galenus, apud Augustum Antonius Musa, apud Carolum V. Vesalius. Ex hisce iudicijs sapientiss. principum medicinæ dignitas conspici potest. Sed illustrius est sapientiæ diuinæ testimonium, quod hoc in loco Syracides recitat. **UTILITAS** vero in tuenda & restituenda sanitate omnibus nota est. Nam per omnes omnium ætatum gradus utimur artis medicæ beneficijs innumerabilibus, sicut vox diuina inquit: Honora medicum: propter necessitatem enim creauit eum altissimus.

Est & methodus seu ordo & series partium doctrinæ medicæ testimonium sapientiæ diuinæ, & dignitatis ac certitudinis & immensæ varietatis optimarum rerum, quas hæc scientia complectitur: cuius primæ partes **QUATUOR** sunt: *φυσιολογική* seu *ανατομική*. *αιτιολογική*. *θεραπευτική*. *διαιτητική*. Physiologicæ seu considerationis naturæ humani corporis loci præcipui sex sunt. 1. Elementa seu prima communia rerum omnium principia. 2. **TEMPERAMENTA**. 3. Humores quatuor. 4. **PARTES** humani corporis solidæ. Similares nouem, vt caro, ossa in toto corpore 304. Cartilago, Neruus, Chorda, Ligamentum, Vena, Arteria, Membrana. Dissimilares & organicæ, vt cerebrum, cor, iecur, ventriculus, pulmones, manus, pedes. 5. Facultates & actiones naturales, vitales, & animales. 6. Spiritus animales & vitales. *αιτιολογική* **MORBORVM** omnium nomina, descriptiones, signa, **CAVSAS** & symptomata explicat. *θεραπευτική* curationes morborum adhibitis remedijs seu medicamentis idoneis ostendit. Quæ vel simplicia sunt, quorum materiæ ab herbis vel alijs plantis vel animantibus, vel terra & metallis, vel aqua & mari sumuntur. Atque hæc pars medicinæ totam stirpium seu arborum & herbarum, & animalium, & totius ferè rerum naturæ historiam vberimam & iucundissimam complectitur. Vel ex simplicibus composita sunt. & vel intra corpus sumuntur, vt Pilulæ seu Catapoti, Syrupi seu Serapia, Iuleb, seu Zulapia. Decocta, Ecligmata, Gargarismi. Antidota vt Theriaca, Pulueres, Clysteres, pessi, &c. vel extrinsecus adhibentur, vt Emplastra, Vnguenta, Sacculi, Embrochæ, Infessiones, &c. *διαιτητικής* seu *υγιεινής* **LOCI** præcipui sunt sex res non naturales, vt vulgo vocantur, quæ videlicet non sunt partes naturæ corporum nostrorum, sed tamen ad conseruationem corporis necessariæ sunt, & rectè ac commodè vsurpatæ bonam valetudinem tuentur: immoderatè vero aut peruersè adhibitæ corrumpunt. Aër, cibus & potus, exercitatio & quies, somnus & vigilia, euacuatio & retentio, affectus.

Lucius.

*Fili mi, si quem contigerit mori, deplora & luge eum.* Posterior pars 38. capitis de luctu in morte amicorum moderando præcipit. 1. Quia nihil prodest mortuo. 2. Quia lædat valetudinem & vitam lugentis. Nam tristitia multos occidit, & utilitas non est in ea. 3. Quia mors omnibus communis sit, ne quidquam peculiariter in vno lugeri debeat, quod omnibus sine vlla exceptione accidit. 4. Quia pijs mortuis bene sit in vita beata. Nam beati sunt mortui, qui in Domino moriuntur à modo, vt requiescant à laboribus suis. Confer epistolam Senecæ centesimam.

## Caput XXXIX.

Qui